

Johannes Vorst    Johann Langemack

## **De Quodam Argumentationis Genere, Quod Syllogismum Infinitum Vocant, Diatriba**

Rostochi[i]: Richelius, 1652

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730150321>

Druck    Freier  Zugang



R U phil 1652  
Joh. Vorstius, Bist.  
Joh. Langemak, Resp







ΣΥΝΘΕΩ.

DE

QVODAM ARGU-  
MENTATIONIS GENE-  
RE, QVOD SYLLOGISMUM  
INFINITUM VOCANT,  
DIATRIBA,

QVÆ

VENERABILIS PHILOSOPHORUM  
ORDINIS CONSENSU PUBLICÆ  
VENTILATIONI SUBJI-  
CIETUR

A

PRÆSIDE

M. JOH. VORSTIO,

ET

RESPONDENTE

JOH. LANGEMACIO,  
CHILONIENSI,

DIE XVIII. DECEMBRIS.



ROSTOCHI

Typis Johannis Richelii, Senat. Typogr.

Anno c1s 17c LII.

16  
516



REVISED

OXFORD UNIVERSITY PRESS

PRINTED IN GREAT BRITAIN

BY THE UNIVERSITY PRESS

AT THE CLarendon Press

OXFORD

THE UNIVERSITY PRESS

PRINTED IN GREAT BRITAIN

BY THE UNIVERSITY PRESS

OXFORD

OXFORD UNIVERSITY PRESS

PRINTED IN GREAT BRITAIN

BY THE UNIVERSITY PRESS

AT THE CLarendon Press

OXFORD

OXFORD

Printed at the Clarendon Press, Oxford

OXFORD





**E**st genus argumentationis, quod Syllogismum infinitum vocant. Deq; eo saepe multumq; meminimus disquisitum esse. Post alios verò & nobis consilium est de eodem argumento pauca quaedam commentari. Ante omnia igitur exponendum amplius est, quid illud sit, de quo dispicere instituimus. Quod non melius fieri posse videtur, quàm si unum atq; alterum ejus rei exemplum proferamus. Est igitur hoc unum: *Quicumq; non credit in Christum, is non salvatur. Judæi non credunt in Christum. E. Judæi non salvantur.* Alterum sit: *Quodcumq; non sentit, id non est animal. Lapis non sentit. E. Lapis non est animal.*

II. Dicitur vulgò hoc argumentationis genus *Syllogismus infinitus*, propterea quòd enunciationem infinitam habet. *Infinita* verò enuntiatio est, quæ vel subjectum vel prædicatum, vel utrumq; infinitum habet. Porro *infinitum subjectum* aut *prædicatum* dicitur cui particula *Non* est addita: e. g. *non homo, non animal, non sentiens.* Apparet, & *infinitum* de syllogismo, de enunciatione, & de parte enunciationis non eodem modo dici, & esse hîc quandam à φ' ἐνὸς homonymiam.

III. Cæterum quòd subjectum & prædicatum *infinita* vocamus, eo Aristotelem sequimur, qui ubi de partibus enunciationis agit, hoc est, in libro de Interpretatione, de nomine, itemq; de verbo ἀόριστον monet, seq; ibi ὀνομασθετήσας, hoc est, novum nomen imponere indicat. τὸ δ' ἐστὶν ἀνθρώπου, inquit, ἐστὶν ὄνομα. εἰ μὴ καὶ δὲ καὶ τὰ ὀνόματα, ὅ, τὰ δὲ καλεῖν αὐτὸ. ἔτε γὰρ λόγος, ἔτε δ' ἀπόφασις ἐστίν. ἀλλ' ἐστὶν ὄνομα ἀόριστον, ὅτι ὁμοίως ἐφ' ὅτι ἐστὶν ἰσχυρὸν, καὶ ὄντως, καὶ μὴ ἐνί. Dixerat de voce hujusmodi quam ὄνομα vocat. Cujus exemplum potest esse ἀνθρώπου homo. Deinde verò subjicit, de τὰ ἐστὶν ἀνθρώπου: non posse hoc simpliciter & sine



sine addito ὄνομα dici. Sed nec à cæteris Philosophis appellationem esse inditam. Cum autem appellationem non inveniret, ipse quædam imponere aggressus est, vocavitq; ὄνομα ἀόριστον. Postea & hi qui Latine philosophati sunt, Aristotelem imitati & non homo dixerunt *nomen infinitum*: siq; id prima enunciationis pars sit, vocarunt porro *subjectum infinitum*. Sic & in superioribus argumentationibus infinitum subjectum apparet, & quidem in primis earum propositionibus. Ipsum *Τὸ non credens in Christum, Τὸ non sentiens*, infinitum subjectum est. Si verò *Τὸ non*, non adfit, vocare licet ex adverso *subjectum finitum*. Porro quia primæ propositiones *subjectum infinitum* habent, fit, ut eadem appellatio *infiniti* ad totas eas transferatur, ipsæq; itidem *infinitæ* dicantur. Amplius verò ipsi quoq; syllogismi qui tales propositiones habent, *syllogismi infiniti* dicuntur. Et illæ quidem argumentationes, quas ipsi exempli causâ posuimus, vulgò sine ullâ hæsitacione syllogismi infiniti appellantur.

IV. Disquiritur autem, an istiusmodi argumentationes satis rectè se habeant. Habent quidem illæ speciem syllogismorum primæ figuræ. Sed hujus figuræ lex quædam est, *minorem propositionem non posse negativam esse*. Si igitur istæ argumentationes pro syllogismis primæ figuræ habeantur, siq; secunda earum propositio dicenda est negativa: lex ista, *minorem primæ fig. non posse negativam esse*, manifestè perumpitur. Non pauci ig. iiq; clarissimi Viri de his ita sentiunt, & esse istas argumentationes satis bonas, nec habere eas quicquam, quo prædicta lex violetur. esse enim minorem propositionem (sic secundam propositionem earum argumentationum vocant) non negativam, sed affirmativam.

V. Vir Clarissimus in cap. III. de Analyti Logicâ in eam sententiam sic disserit: *Si vel tu à me, vel ego à te queramus, an affirmet hæc enuncitio Lapis non est animal, an verò neget, neuter puto nostrum, ut nec alius aliquis, affirmantem esse dicet, sed negantem omnes. Nihilominus tamen si eam in hoc syllogismo considerem, Quod nō est animal expers est sensus. Lapis non est animal. E. Lapis expers est sensus: in hujus, inquam, syllogismi minori totidem verbis, syllabis*  
E. lit.



*& literis continetur eadem hac enunciatio, Lapis non est animal: nec tamen, quod quidam mirantur, eandem aut essentiam aut qualitatem retinet. Resolvendo enim hunc syllogismum, qui eam negantem esse dixerit, aut in eâ To animal tantum esse predicatum, illum certè Logicus plorare jubeat. Prorsus ἀτόν, ut apparet, Vir Cl. putat illum esse, qui superiorum argumentationum, similiumq; aliarum secundas propositiones, negativas dicat. Esse enim illas extra syllogismos istiusmodi veras negativas: in ipsis autem illis syllogismis eandem essentiam & qualitatem non retinere, hoc est, cum antea negativæ essent, nō manere negativas, sed affirmativas evadere. Alius Vir Cl. in eandem sententiam scripsit in Manuali Logico. Hæc propositio, inquit, *Judæi non credunt, si absolutè & extra Syllogismum ponitur, uti & regulariter & analogicè, semper est negativa. Sed si ponatur in Syllogismo, tunc fieri potest, ut ejus negatio impediatur in Minore propositione ob terminum infinitum qui erat in Majore.**

VI. Verùm enimvero de quo Viri Clarissimi tam confidenter pronunciarunt, de eo nobis prorsus non liquet. Videmus enim, id quod negativam enunciationem facit sive constituit, eodem modo se habere, sive in istis argumentationibus appareat, sive sit extra eas. Hæ propositiones, *Judæi non credunt, lapis non est animal, lapis non sentit*, sine dubio negativæ sunt: idq; omnes fatentur. Quæro igitur, quid illud sit quod eas negativas facit, sive unde fiat ut nō affirmativæ, sed negativæ sint. Respondebunt omnes, propterea esse negativas, quòd vocula *Non* convenienti loco est posita, nimirū immediatè ante copulam. Atq; ista quidem rectissimè se habent. Annon verò, quandocunq; ita fit, ut vocula *Non* immediatè ante copulam ponatur, enuntiatio est negativa? Ita sanè dicendum est. Non modò interdum, sed perpetuò hoc verum est, si vocula *Non* immediatè ante copulam ponatur, enunciationem negativam esse. Pertinent hæc planè ad definitionē enunciationis negativæ. Neque igitur quandocunq; vera, aliàs vero falsa esse possunt. Quoniam igitur & in secundis superiorum argumentationum propositionibus vocula *Non* immediatè ante copulam ponitur, nos nulli dubitamus, quin ea vocula, convenienti isto loco posita, eandem vim habeat, easq; propositiones negativas faciat. Hujus propositio-



nīs, ut adhuc clariūs dicam *Judæi non credunt*, subjectum est vox *Judæi*: prædicatum verò *credentes*. Sed dicitur ibi *credunt*: non *credentes*. Vulgò notum est, vocem *credunt* duplicem vim habere, copulæ scilicet, & prædicati, & ex duobus his quasi coaluisse. Resolvenda igitur sic est, *sunt credentes*. Apparet nunc seorsim prædicatum, & seorsim item copula *sunt*: Porro antè vocem *credunt*, quæ & copulam & prædicatum comprehendit, atq; adeò ante ipsam quoq; copulam, posita est vocula *Non*. Quoniam verò *Tò Non* est ante copulam, *ὡς αὐτὴν ἰπὴ τῶς* verum est, eandem illam propositionem in ipsâ quoq; illâ argumentatione, quam supra exemplis causâ posuimus, negativam esse.

VII. Ipse Vir Cl. cujus quædam verba paulò ante exscripsimus, de hac enunciatione *Lapis non est animal*, sic differit: *Negantem esse dicent omnes. Resolvendo enim enunciationem, subjectum invenimus voculam illam lapis, prædicatum verò Tò animal, particulam est copulam: que quia negatur (quia voculam Non immediatè ante se habet) omnino eâ negans censenda est enunciatio.* Rectissimè ista omnia. Sic verò perinde mihi dicere licet de eadem illâ enunciatione, ubi jam argumentationis pars est. Est ibi itidem subjectum, *lapis*: prædicatum, *animal*: copula, *est*: quæ quia voculam *Non* immediatè ante se habet, omnino negativa dicenda est ista enunciatio. Quod igitur Vir Cl. dicebat, *qui eam propositionem negantem esse dixerit, aut in eâ Tò animal tantum esse prædicatum, illum à Logico meritò plorare jubendum*, id frivolum est atq; nihili. Omnino Viri Logici est, de istâ propositione sic, & non aliter sentire. Quæcunq; enunciatio voculam *Non* immediatè ante copulam habet, ea negativa meritò dicitur. De nostrâ sic res se habet. Igitur & ipsa meritò habebitur pro negativâ.

VIII. Deinde quàm *ἀπὸ τῶς* dicitur illud, in hac enunciatione *Lapis non est animal*, non solam vocem *animal* esse prædicatum! Ergone & vocula *Non* ad prædicatum pertinere putanda est? si voculam *Non* prædicato accensebis, sine dubio verbum *est* quoque ejusdem prædicati pars erit. Ergo jam habemus prædicatum tribus istis vocibus *non est animal*, constans. Sed oportet etiam ali-  
quid



quid esse quod prædicatum cum subjecto copulet. Tale autem in enunciatione *Lapis non est animal* nihil apparet, si tria posteriora vocabula pro prædicato habeas. Quare nec plena enunciatio sic esse poterit.

IX. Nos de superioribus argumentationibus paulò aliter habendum judicamus. Principio facilè equidem concedimus, conclusiones rectissimè sequi ex duabus cæteris enunciationibus. Sed dicimus non sequi per Syllogismum, ut vulgo putant. Quòd non sint syllogismi, id in proclivi ex demonstrare. Vulgaris & proba doctrina est, syllogismum habere tres terminos, nec plures, nec pauciores. In superioribus autem argumentationibus licet plures quàm tres terminos numerare. Refumamus earum unam: *Quicumq; non credit in Christum, is non salvatur* *Judei non credunt in Christum.* E. *Judei non salvantur.* Unus terminus sine dubio est vox *Judei.* Alter verò, *qui salvatur.* Tertius, *Non credens in Christum.* Quartus, *credentes in Christum.* Sed de his duobus posterioribus præcipuè est cogitandum. Tertius terminus est subjectum primæ propositionis, scilicet *non credens in Christum.* Et huic signum universalitatis præponitur. Quartus autem terminus est prædicatum secundæ propositionis, nimir. *Tò Credentes in Christum.* Atq; hic quartº omnino discrepat à tertio. Non enim perinde est, sive dicā, *credens in Christum,* sive dicam, *non credens in Christum.* Quòd autem *Tò credens in Christum* sit quartus terminus, id nemo ire poterit inficias. Neq; enim in hac enunciatione *Judei non credunt,* vocula *Non* ad prædicatum pertinet: sed ejus hoc officium est, ut enunciationem negativam faciat. Quod quidem & facit illa, eo quòd immediatè ante copulam est posita, ut jam antè monuimus. Cum igitur certum sit, in superioribus argumentationibus quatuor numerari posse terminos, nõ poterunt eæ pro Syllogismis haberi. Et, si tertix earum propositiones sequuntur ex duabus cæteris, manifestum est non sequi illas per formam syllogificam.

X. Atq; hoc præcipuè notari velim contra Virum Cl. qui in suâ de Syllogismo infinito diatribà eo à nobis nihil discrepat, quòd secundas talium argumentationum propositiones aperte pertendit negativas esse; secus quàm faciunt alteri illi Viri  
Clariss.



Clarissimi, quorum supra facta est mentio. Pronunciata ejus in diatribâ istâ sic se habent: *Ajo primò, hunc Syllogismum formaliter bonum esse. Ajo secundò hunc Syllogismum esse ex puris negativis.* Rectè illud quòd omnes talium argumentationum enunciationes dicit negativas esse. Secùs autem res de eo se habet, quòd totam argumentationem *Syllogismum* vocat. Sed quomodo, cum non sit Syllogismus, conclusio tamen sequi possit, de eo nunc dispiciamus.

XI. Ponamus primò prædictæ argumentationis conclusionem *Judæi non salvantur.* Hanc veram esse per Syllogismum probari potest primæ figuræ: ita quidem ut medius terminus sit *Tò non credens in Christum.* Totus Syllogismus ita se habet:

Omnis *non credens in Christum,* non salvatur.

*Judæi sunt non credentes in Christum.*

E. *Judæi non salvantur.*

Vides hîc medium terminum *Tò non credens in Christum* esse subiectum majoris, prædicatum verò minoris propositionis. Deinde quantitas quoq; & qualitas propositionum quàm rectissimè se habet. Quamobrem nihil dubitandum, quin optimæ notæ sit Syllogismus iste.

XII. Porrò verò observandum est, minori propositioni sive assumptioni istius Syllogismi æquipollere hanc, *Judæi non sunt credentes in Christum.* Non habet hæc enunciatio tale prædicatum quale minor prædicti Syllogismi habebat. Minoris istius prædicatum est, *non credentes in Christum.* Hujus verò posterioris prædicatum est, *credentes in Christum.* Deinde qualitate discrepant duæ iste enunciationes. Ea quidem quæ minor est prædicti Syllogismi, affirmativa est. Non enim vocula *Non* apparet ante vocem *sunt,* quæ copula est. Altera verò enunciatio omnino negativa est: siquidem *Tò non* manifestè ante copulam apparet. Quamvis autem duæ istæ enunciationes tum in externâ oratione tum in internâ quoq; sive in mente discrepent: (diversa enim prædicata habent, & per consequens diversam quoq; qualitatem) eadem tamen illæ æquipollent planè, hoc est, simul sunt veræ. Quod non aliter se habet, quàm circa has duas enunciationes res se habet, *Quidem homo nō est doctus, Non omnis homo est doctus.* Nimirum & hæ



& hæ Logicè æquipollent, simulq; veræ sunt. Cæterum de æquipollentiâ istâ quæ in duabus prioribus enunciationib9 apparebat, Viri Logici utilissimum Canonem cuderunt, qui ita se habet: *Enunciatio affirmativa prædicati infiniti, & negativa prædicati finiti æquipollent.*

XIII. Quoniam igitur æquipollent & simul veræ sunt hæ duæ enunciationes,

*Judæi sunt non credentes in Christum,*

*Judæi non sunt credentes in Christum,*

licet utiq; hanc posteriorem ponere, ubicunq; poni potest prior, veritatiq; eo nihil quicquam decedet. Cumq; prior istarum, superioris syllogismi assumptio sit, licebit & ibi posteriorem usurpare. Et, quemadmodum ex his duabus enunciationibus, *Omnis non credens in Christum non salvatur, Judæi sunt non credentes in Christum,* rectissimè sequitur hæ conclusio, *Judæi non salvantur*: ita & eadem hæ conclusio sequi potest ex duarum istarum priori & ex posterioris æquipollente, *Judæi non sunt credentes in Christum*. Tantum observandum est, si æquipollentem ponas, non manere syllogismum primæ figuræ, quemadmodum paulo ante monuimus. Optima hæ argumentatio est: *Omnis non credens in Christum non salvatur. Judæi non sunt credentes in Christum. E. Judæi non salvantur.* Sed ea non dicenda est Syllogismus. Ratio ejus jam supra clarissimè exposita est. Sic quoq; qui ita argumentati sunt, *Dextra Dei est ubiq;, Christus sedet ad dextram Dei. E. Christus est ubiq;*, hanc ipsam argumentationem pro syllogismo venditare noluerunt; quamvis eam persuasum haberent esse optimam. Dixerunt quidem, loco majoris propositionis positam esse eam, ex quâ major ista sequatur: pro hæc quidem *Quicumq; sedet ad dextram Dei, is est ubiq;*, positam esse istam, *Dextra Dei est ubiq;*.

XIV. Quòd verò Conclusio, *Judæi non credunt*, æqvè sequitur ex his duabus, *Omnis non credens in Christum non salvatur. Judæi non sunt credentes in Christum*, atq; ex his duabus, *Omnis non credens in Christum non salvatur. Judæi sunt non credentes in Christum*; quòd, inquam, æqvè rectè sequitur, ejus eadem ratio est, quæ est in reductionibus syllogismorum secundæ & tertiæ figuræ ad syllogismos

B

primæ



primæ figuræ. Syllogismi secundæ & tertîæ figuræ imperfecti vulgo vocantur: primæ autem figuræ syllogismi, vocantur perfecti. Et imperfecti deinde ad perfectos reducuntur. Quid verò causâ est, quâmobrem reducuntur? Hæc nimirum, quòd syllogismi primæ figuræ sunt multò præstantiores. Quæ porro hujus præstantiæ causâ est? Non alia certè, quàm quòd syllogismi primæ figuræ nituntur duobus principiis naturâ notis: quæ *Dictum de omni* & *Dictum de nullo* appellari solent. Sed recolamus etiam, quomodo reductio fiat.

XV. Præcipuum in illâ est conversio. Reducuntur igitur syllogismi secundæ & tertîæ figuræ ad syllogismos primæ, dum enunciationes convertuntur, vel simpliciter, vel per accidens, vel per contrapositionem. Capiamus exemplum: *Nullus sapiens est miser. Quidam sapiens est pauper. E. Quidam pauper non est miser.* Est syllogismus tertîæ figuræ, modi *Ferison*. Facile reducitur ad primam figuram: si nim. minor modò propositio simpliciter convertatur, hoc modo, *Quidam pauper est sapiens.* Ergo jam habemus syllogismum primæ figuræ: *Nullus sapiens est miser. Quidam pauper est sapiens. E. Quidam pauper non est miser.*

XVI. Nititur hic posterior syllogismus primo & naturâ noto principio, quòd dictum de Nullo vocant, quodq; ita se habet: *Quodcumq; negatur de subjecto universaliter sumpto, id negandum etiam est de omni eo quod subjecto isto continetur.* In præoximi superioris syllogismi majore vides *Tò miserum* negatum esse de subjecto *sapiens* universaliter sumpto. Jam verò *Tò pauper* subjecto isto continetur: ut nimirum quidam pauper sit sapiens. Quare & de *quodam* paupere negandum est idem illud, quòd de subjecto majoris propositionis negabatur, nimirum *Tò miserum*. Evidentissimè igitur hæc conclusio, *Quidam pauper non est miser*, sequitur ex his duabus enunciationibus, *Nullus sapiens est miser, Quidam pauper est sapiens.*

XVII. Sed eadem illa conclusio sequi etiam potest ex his duabus, *Nullus sapiens est miser. Quidam sapiens est pauper.* Cujus causâ hæc est, quòd ex harum duarum posteriore *Quidam sapiens est pauper*, sequitur duarum priorum posterior: idq; per conversionem simplicem. Immoq; verò principium, cui ista innituntur, ita se



ita se habet: *Quod sequitur ex consequente, sequitur & ex antecedente, sive quod sequitur ex eo quod ex alio sequitur, idem illud sequitur & ex altero illo.* Sub hoc nim. ita subsumere licet: conclusio ista *Quidam pauper non est miser*, sequitur ex duabus enunciationibus, quarum una sequitur ex alia quadam, nim. ex his, *Nullus sapiens est miser, Quidam pauper est sapiens.* Porro verò sic quoq; concludere licet: Ergo eadem conclusio sequetur etiam ex his duabus, *Nullus sapiens est miser. Quidam sapiens est pauper.* Nimirum ex harum duarum posteriore per conversionem simplicem sequitur duarum priorum posterior.

XVIII. Quemadmodum igitur in prædictâ reductione res se habet, sic & in superiore Syllog. infinito. Hæc conclusio *Judei non credunt*, sequitur ex his duabus *Quicumq; non credit, is non salvatur, Iudei sunt tales qui non credunt.* Ergo eadem ista conclusio etiam sequi potest, ex duarum istarum priorè & ex junctâ illi eâ enunciatione, ex quâ duarum istarum posterior per æquipollentiam sequitur, hoc est, ex his duabus, *Quicumq; non credit in Christum, non salvatur, Iudei non sunt credentes sive non credunt in Christum.*

XIX. Hic v. observa mihi, quàm non sufficiat Viris Logicis ad solum istum sermonem, quem vulgaris usus fert, attendere. Asperum sanè, nec concinnum satis Latinis auribus videbitur, si dicas, *Judei sunt non credentes.* Quippe usus non ita fert, ut prædicatum enunciationis isto modo infinitum fiat. Dicerent potius Latini, *Judei non sunt credentes.* Imò pro hoc quoq; concinnius dici existimabant, *Judei non credunt.* Qui autem res Logicas exquirunt, hi animadvertunt, istis infiniti prædicati enunciationibus in exquirendo vero profus abstinere haud posse. Certè nisi ejusmodi enunciationem formes, nunquam apparebit, quomodo hæc conclusio *Judei non salvantur* per Syllogismum colligi possit, adhibito hoc medio termino, Non credens in Christum. Ipse primarius doctor Logices, cum Græcè philosopharetur, non planè abstinendum putavit hujusmodi enunciationibus, quamvis nec vulgaris Græca lingua eas ferret.

XX. Principalis pars prædicati non solet in linguis infinita esse. Veruntamen partem aliquam minùs principalem & consequentem nihil vetat esse talem. Exemplum capiamus ex Hebrais.



bræis. Jer. V. 7. dicitur, וַיִּשְׁבְּעוּ בְּלֹא אֱלֹהִים & jurant per non Deos. Subjectum ejus enunciationis est filii Jerusalem: quod in textu præcedit. Totum prædicatum est, jurantes per non Deos. Principalis verò prædicati pars, est vox prima, quæ casu recto effertur. Το non Deos est modò pars consequens prædicati. Et est nomen infinitum: vel si mavis, nominis infiniti ἄθεος. Sed Latini non ita loquuntur, jurare per non Deos. Infinitum istud nomen non sic illi ponunt, ut Hebræi faciunt: sed ut illud exprimant, adjiciunt quædam, dicuntque jurare per tales qui non sunt Dij; sic puta, ut relativum pronomen & verbum substantivum intercedant, atq; ita porrò ipsum nomen casu primo ponatur. Et Hieronymus igitur sic vertit, jurant in his qui non sunt Dij. Deinde nec Græci prædictum nomen infinitum ita exprimunt, ut Hebræi faciunt, sed & ipsi adjiciunt quippiam. Interpretes Græci prædicta Hebræa sic vertunt: ὠμυυον εν τοῖς ἄθεοις. Non poterant sic ut Hebræi, ὠμυυον εν ἄθεοις, jurant in non Diis. Nec rursus sic poterant, ὠμυυον εν τοῖς θεοῖς. Oportuit adjici participium verbi substantivi θεοῖς. Syrus Interpres itidem circumlocatione usus est, cum ista exprimere voluit; planè ut Latinus Interpres Hieronymus. Vertit enim, בְּאֵלֵינוּ דְּלֹא הֵווּ אֱלֹהִים in illis sive per illos qui non sunt Dij. Paraphrastes Chaldaeus autem, sensum magis quàm verba expresit, cum ita vertit, בשׁוֹם טַעוּתָא per nomen idolorum. Nimirum per לֹא אֱלֹהִים non Deos, Propheta idola gentilium intelligit. Recentiorem Interpretem Latinum qui in versione suâ genium ac elegantiam Latinæ Linguæ, & interdum quidem nimio opere observare studuit, mirum est ita vertisse, Per non Deos jurant. Non reperiet Castalio, Latinos notiones infinitas sic expresisse ut Hebræi faciunt.

Coroll. I. Inconcinnum est, quòd voluntas Dei in voluntatem signi & in voluntatem beneplaciti distinguitur.

II. Ἀπίσταντες in Orat. Domin. significat ἀπειθεῖς ἠδὲ ἀπειθήσαντες ἡμετέρας.

III. Non crediderunt Stoici, habitum virtutis esse summum bonum: sed & ipsi actionem virt. pro S. B. habuerunt.

IV. Minus elegans est vocem Discursus usurpare, si sermonem aut argumentationem significare velis.











ita se habet: *Quod sequitur ex consequente  
sive quod sequitur ex eo quod ex alio sequitur  
altero illo.* Sub hoc nim. ita subsumemus  
*dem pauper non est miser, sequitur ex duabus  
rum una sequitur ex aliâ quadam, miser,  
Quidam pauper est sapiens.* Porro videtur  
cet: Ergo eadem conclusio sequetur  
*sapiens est miser. Quidam sapiens est pauper  
duarum posteriore per conversionem  
priorum posterior.*

XVIII. Quemadmodum igitur  
se habet, sic & in superiore Syllog. in  
*non credunt, sequitur ex his duabus  
tur, Iudaei sunt tales qui non credunt.* Ergo  
sequi potest, ex duarum istarum priorum  
one, ex quâ duarum istarum posteriorum  
tur, hoc est, ex his duabus, *Quicumque non  
tur, Iudaei non sunt credentes sive non credunt.*

XIX. Hic v. observa mihi, quâ  
ad solum istum sermonem, quem vulgus  
sperum sanè, nec concinnum satis Latini  
*cas, Iudaei sunt non credentes.* Quippe  
catum enunciationis isto modo in fine  
Latini, *Iudaei non sunt credentes.* Imò  
ei existimabant, *Iudaei non credunt.* Quod  
runt, hi animadvertunt, istis infinitis  
inquirendo vero profus abstinere huius  
modi enunciationem formes, nunquam  
conclusio *Iudaei non salvantur* per Syllog.  
bito hoc medio termino, Non credens  
rius doctor Logices, cum Græcè philosophandi  
nendum putavit huiusmodi enunciationis  
ris Græca lingua eas ferret.

XX. Principalis pars prædicati  
ra esse. Veruntamen partem aliquam  
sequentem nihil vetat esse talem. Ex

Ex antecedente,  
d sequitur & ex  
clusio ista Qui-  
tionibus, qua-  
s sapiens est mi-  
concludere li-  
duabus, Nullus  
rum ex harum  
quitur duarum

reductione res  
conclusio Iudaei  
lit, is non salva-  
conclusio etiam  
i eâ enunciati-  
entiam sequi-  
tum, non salva-

Viris Logices  
attendere. Au-  
debitur, si di-  
rt, ut prædica-  
cerent potius  
concinnius di-  
logicas exqui-  
nciationibus  
ertè nisi ejus-  
quomodo hæc  
i possit, adhi-  
Ipse prima-  
n planè absti-  
ris nec vulga-

linguis infini-  
alem & com-  
amus ex He-  
brais

